

00
ur

9 d. 560

IT

Thol. O. III, 286

10

PROPOSITIONES

DE PECCATO
ORIGINALI CONFESSIONIS
LOCO SCRIPTAE,

AB

**Andrea Hoppenrodo, Pastore
Heckstetensi.**

CVM PRAEFATIONE

M. Hieron. Mencelij Superintendentis.



Per Urbanum Gubisium, excusæ.

I S 7 3

2520170009

OTAGO HEG

PIOLECTORI. S.

Misit ad me, reuerevdus vir, eruditione, & pietate præstans, D^o Andreas Hoppenrodius, Pastor Ecclesiæ Heckstetensis, has propositiones, cum ab ipso declaratio sententiæ, in præsenti certamine, de peccato originis, postularetur: Ac uoluit eas suam & collegarum suorum esse confessionem, & testimonium, quod in usitata, & Ecclesiæ Christi nota doctrina persisteret: Ab inusitatis & impijs locutionibus Manichæorum, de substantia Peccati, toto pectore abhorreret. Nec misit tantum, ut ego eas legerem, sed uoluit etiam, ut illæ toti Ecclesiæ publicè proponerentur. Cum igitur cum Ecclesia, iuxta præceptum Apostoli, loquatur: ὃ ποτύπωσιν ἐχεύγιανόντων λόγων, non solum eas libenter Ecclesiæ Christi communico: Sed meas quoq; de eadem re breuiter collectas adjicio, ut uideant omnes pñ consensum: Ac tanto magis doleant, paucos quosdam, ex sanctissimo illo concordiæ & pacis uinculo, quod singulari beneficio Dei longo tempore inter nos fuit per inquietas aliorum machinationes, qui ad turbandas Ecclesias natr sunt, abreptos esse, quos ut idem clementissimus pater ex immensa sua misericordia, in uiam reducat, ardentibus uotis precamur. Et quod filius Dei paulò ante agonem suum precatus est, nos quoq; iam rogamus: Pater sancte serua nos in nomine tuo, ut unum simus; Et sanctifica nos in ueritate tua. Sermo tuus ueritas est, Amen.

M. Hier. Mencelius
Superintendens.

PROPOSITIONES DE PECCATO ORIGINALI CONFESSORIS LOCO SCRIPTAE.

I.

Pecatum nomen est relatum & significat quiddam Reum, damnatum & dignum horribilibus & æternis pænis, idq; primo propter defectum seu spoliacionem, seu carentiam iustitiae originalis, D inde ob prauas inclinationes seu horribilem depravationem, seu naturalem impotentiam, actionesue contra legem DEI.

II.

Postquam autem homo sic spoliatus est imagine Dei, ad quam fuit conditus, quæ fuit iustitia & sanctitas uera, naturaliter ipsi impressa, & accepit uulnera & lacerationes horribiles, & inde per legem membrorum repugnat DEO, sane est coram DEO quiddam reum & damnatum, nisi ei hæc mala remittantur propter Christum.

III.

Ita fundamentum peccati seu materiale, ut uocant, est defectus boni Ro. 3. Omnes carent gloria Dei. Et positio mali, uidelicet corruptio totalis, Esa. 1. Psal. 14. Et propagabilis, Psa. 51. Terminus seu formale est reatus, Ephe. 2. Omnes filii iræ.

III.

Fundamentum autem peccati recte intelligi & explicari debet ne obscuras pariat quæstiones & certamina.

Defectus est spoliatio seu priuatio omnis boni seu imaginis Dei, in subiecto, Et non spoliatio ipsius subiecti. Reuera. n. illud in Adamo mansit & non euauit aut in nihilum redactum est, seu aliud productum. Ipse Adam unus & idem ratione sui subiecti in Paradiso collocatus fuit iustus ueré & realiter, id est, potuit Deum agnoscere, illi obedire, cum timere & in ipsum credere, in eoque acquiescere naturali quadam ui & potentia sibi in creatione indita. Rursus a serpente persuasus ut transgressor mandati diuini fieret, iste Adam in suo subiecto stetit coram Deo nudus, id est, spoliatus hac iusticia & imagine Dei, ut iam naturaliter nihil posset quam Deum odisse & fugere. Ita defectus non respicit Substantiam Adæ, quasi illa desierit esse aut euauerit, sed respicit iusticiam &

A 2

sanctam



sancitatem in subiecto, Hæc bona per lapsum amissa sunt. Sicut Lutherus hunc locum pulcherr. explicat Gen. 3. Super uerba (Fecerunt sibi perizomata) ubi sic inquit : Hæc non naturæ est immutatio, Manet quidem natura, sed multis modis corrupta. Si quidem fiducia erga Deum amissa est, et cor plenum est diffidentia, metu, pudore &c. Sic manent in natura membra cadæ, sed turpia et in honestate.

V.

Corruptio seu depravatio de malo positivo intelligatur in ipso subiecto, Certum est enim non tantum Adamum spoliatum suis bonis, sed vulneratum & lassum usq; ad mortem horribiliter, Luc. 10. Hæc læsto quæ a Diabolo actiuè Adamo inficta est, et passiuè postea illi (ut Lutherus cap. 1. Gen. Item. cap. 45. Et 49. loquitur) inhæsit, et omnibus suis posteris ita passiuè inhæret, ut nihil sani, nihil boni sit in toto homine, in corpore, anima & omnibus viribus a uertice capitum usq; ad plantam pedis, Esa. 1. habet multas proprietates, quæ bene sunt considerandæ oculis & animo, ne quis existimet hanc corruptionem leue aliquod malum esse.

VI.

Primo: Hæc corruptio referenda est ad subiectum ipsum: non est cogitandum, Eam esse quiddam extra Naturam aduentitium, diuersum, alienum, separatum. Sed esse in ipso subiecto Adami, Bonæ Naturæ peruersionem, depravationem, deformationem, Ut, sicut antea potuit DEVM agnoscere, diligere, metuere, iam fugit eum eiq; repugnat.

VII.

Secundo: Hæc corruptio non est accidentium solum in homine, id est, ornamenti ornamenterum a DEO homini communicatorum, sed est Totalis depravatio & conturbatio ordinis diuini & & talium omnium potentiarum animæ, cordis, uoluntatis, mentis, &c. In mente. n. est caligo, in corde contumacia, in uoluntate aueratio, &c. Hinc canit Ecclesia. Durch Adams fall ist ganz verderbt Menschlich Natur vnd Wesen

VIII.

Tertio: Non est ociosa hæc impotentia Naturalis seu & talium ordinis diuini, sed efficax, impellit semper hominem ad peccandum, sicut mala arbor semper profert malos fructus. Et postquam, ut Lutherus loquitur, implantatum quidam est homini, omnia membra secum trahit. Hinc cor fons Peccatorum actu siuus dicitur a Christo, Matth. 15. Non quo per se cor sit Peccatum & a Diabolo, (Omne enim quod Peccat a Diabolo est, Iohann. 3.) Sed propter depravationem seu inhæ-

Seu inherens malum, male agit. Si cor non esset lœsum, bona ageret, quia ad agens
cum est conditum. Hoc discrimen Paulus Rom. 7. pulchre seruauit inquiens: Vi-
deo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. Vbi repug-
nantiam non proprie tribuit membris seu potentijs, menti, cordi, uoluntati, quæst
illa essent coram DEO Peccatum, cum sint eius Creaturæ, sed tribuit legi mem-
brorum, quæ est talis gubernatio in membris, ubi à cæcis dubitationibus & flam-
mis errantibus cupiditatum, impatientia in Cruce & alijs prauis affectibus &
uero impetu à tramite uero ducuntur & reguntur. Hinc D. Lutherus super lo-
cum, Matth. 12. ait: Cor malum est fons omnis ueneni & scaturigo quadam ui-
rulenta ex qua nihil boni procedit, Non dicit de corde per se, sed malo, uirulento &
infecto.

X.

Quarto: Hæc corruptio seu conturbatio seu deformatio ordinis diuinū
in Adamo propagatur in omnes posteros, Psal. 51. In Peccatis concepit me Ma-
ter mea. Et solo Christo excepto omnes declinauerunt, & inutiles, corrupti &
abominabiles facti sunt. Hinc etiam omnes filij iræ dicuntur, Ephe. 2. & Romo-
8. Omnes peccauerunt:

X.

Quinto: Cum hæc corruptio sit quiddam implantatum & ingenitum
subiecto, illudq; ita penitus occupat, & omnes potentias, uires, corpus & ani-
mam pertransierit ut abijcere seu deponere eam nemo possit: Merito inseparabilis
dicitur, nisi quis resficiat ad iustitiam imputatiuam propter Christum: Vel ip-
sam nostri corporis resurrectionem in extremo die uenturam, ubi uerè malum il-
lud erit separabile, ut Luth: super cap. Gen. 38. loquitur: uel ad sanctissimam in-
carnationem filij DEI, qui uerè in ea Peccatum non nouit, etiam si factus est Pec-
catum ut nos fierimus iustitia, 2. Corint. 5. Vel etiam ad inchoationem, Nam etsi
Peccatum in regeneratione penitus extirpari non possit, tamen per S. S. morti-
ficatur ne dominetur & regnet, &c.

XI.

Ita uidemus quod ingens & incenarrabile, hæc totalis, efficax, innata, pro-
pagabilis in omnes filios Adæ, & quasi inseparabilis corruptio, in subiecto ma-
lum & uitium sit.

XII.

Et sfero hac explicatione Peccatum non extenuari. Nihil enim relinquit
homini psychico, non patrocinatur synergistis, imò penitus prosternit Erasmi fal-
sissimas opiniones de imputatione tantum lapsus Adæ, Tollit etiam & conculcat
Sophistarum somnia & scholasticorum deliria de integritate Naturalium.

A. 3.

Sed



XIII.

Sed aliqui hac breui & dilucida & ab Ecclesia unanimi consensu in nos deducta explicatione non contenti pugnant magno feroore, abiiciendam esse uocem corruptionis in definitione, eo quod non satisfaciat magnitudini rei, & sit angustior definito, in locum uero pro genere definitionis ponendam esse, Substantiam sive de prauitatem Naturam, ut Peccatum sit, non ille defectus boni, non illa positio mali in subiecto: sed ipsa Substantia, ipsa Natura, ipsum subiectum, uel solum (ut primo locuti sunt) uel una cum corruptione, depravatione seu & ταξιδία seu concupiscentia.

XIV.

Atq; ita penitus tolli uolunt discrimen inter opus DEI & Diaboli, inter hoc quod DEVS me creauit, & dedit mihi corpus & animam & omnia membra. Et inter hoc quod Diabolus effecit mali in hac DEI Creatura.

XV.

Atq; talem confusionem seu commixtionem operis diuini & Diaboli uocant principium Theologicum, hoc quisquis ignorat, abiicit, aut repudiat, Eum Synergistam, Pelagianum & hostem Ecclesie innocentissimum, imò talem non esse prædestinatum proclamant.

XVI.

Causas autem huius suae sententiae alias non proferunt, quam se non uelle patrocinari Synergistis, & hominem psychicum non satis deformari posse, ut DEO suus honos & gloria relinquatur.

XVII.

Sed sciendum esset in Ecclesia cum Ecclesia loquendum, ut salua maneret Ecclesia, siquidem S. Paulus iubet habere ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων Λός γων, 2. Timot. 1.

XVIII.

Præterea hæc doctrina noua secum trahit multa incommoda, phrases intricatas, inusitatæ, absurdas, Augustinæ confessioni addictis Ecclesijs ignotas, imò dudum à ueteribus explosas. Deniq; est argumentum multorum errorum, & non blasphemia in DEV M caret, Merito igitur rei scienda ex descriptio usitatæ retinenda est.

XIX.

Atq; utile est causas in conspectu & promptu habere, ad munierendam ueram sententiam & refutandam hanc absurdam & impiam.

XX.

Sit igitur hæc prima causa cur usitata descriptio retinenda, & altera non

non admittenda sit, Ne aut DEVS constituatur Author Peccati, vel Diabolus conditor substantiarum, Nam urumq; sequi necesse est si ponatur Peccatum esse ipsam Hominis Substantiam, ut a Patre & Matre progenita sit. Constat enim Peccatum esse a Diabolo, Ioh. 8. Si est Substantia ipsa hominis, tunc Diabolus est conditor Substantiarum, An non Manicheismum hoc sapit? præterea omnis Substantia a DEO est Iohan. 1. Si Peccatum est Substantia, a DEO est Peccatum, quod horrendum est auditu, siquidem scriptum est, uidit DEVS omnia quæ fecit, & erant ualde bona.

XXI.

Et hic nihil minor philosophica κεκοφύγεται, Puer ego sum, igitur ignor ut puer, & scio Deum sibi uelle perficere robur ex ore infantum ad destruendum inimicum & ultorem.

XXII.

Secunda causa nos mouens cur a communi & usitata Descriptione recedere non possumus, est ipsa Redemptio Filij DEI, quam ipse in se suscepit non propter Peccatum, ut illud redimeret & DEO reconciliaret. DEVS enim noster iustitia aeterna, auersatur illud & in omnem aeternitatem odit, ut in Psalmo 5. dicitur: DEVS non uolens iniuriam tu es, Et Zach. 8. Malum ne cogitatis in cordibus uestris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Sed Christus, ut Catechesis nostra loquitur, Me perditum & damnatum Hominem redemit & liberavit, non quidem auro & argento, sed suo precioso sanguine, etc. Si igitur Peccatum esset Substantia, tunc & illud liberasset Christus, Et sic iustitia & Peccatum coram DEO se inuicem agnoscerent & exoscularentur. Bone DEVS, qualis Theologia, qualis confusio lucis & tenebrarum.

XXIII.

Tertia causa sublimis & ardua est. Sacra scriptura & uniuersa Ecclesia Christiana confitetur Christum uerum & Naturalem hominem factum esse, Ioh. 1. Verbum caro factum est. Phil. 2. In omnibus inuentus ut Homo, Si igitur Peccatum est illa ipsa Substantia nostra, absg; omni dubio sequitur, & Christum Peccatum nostrum in sua sanctissima incarnatione assumpsisse, Id autem manifeste est contra sacram scripturam quæ dicit 2. Cor. 5. Christum non nouisse Peccatum. Et Esa. 53. dicit in ore eius non inuentum dolum. Non igitur Substantia esse potest postquam a Substantia illa seu Massa, quam filius DEI induit, Peccatum sciunctum & separatum fuit, vi & efficacia imo obumbratione Spiritus sancti.

XXIV.

Quarta causa continetur in resurrectione, Ioh. cap. 19. ait: Se in sua carne,



earne, in sua Substantia, se et non alium, DEVM uisurum. Et Ecclesia Aquile
iensis credidit resurrectione non alterius, sed HVIVS Carnis. Si Peccatum esset
ipsa nostra Substantia, tunc una nobiscum resurgeret. Sed quid dicit Christus,
Psal. 1. Non consistent impij in iudicio neq; peccatores in congregacione iusto-
rum. Et Matth. 7. Discedite a me qui operamini iniquitatem. Et Paulus, 1^o
Cor. 15. τὸ φθαρτὸν, τὸ θυκτὸν ἐν θύσηται ἀφθαρσίᾳ, ἀθανασίᾳ, &c.
Vbi diserte monet. Hoc nostrum corpus (Emphasis n. est in τὸ) mansurum, sed
in resurrectione ornatum iri incorruptione & gloria remoto peccato, & omni
corruptionis ignominia, quam in hac uita secum circumtulit. Et tunc coram Deo
apparitum. Nam non uolens iniquitatem tu es DEVS, Psalm. 5.

XXV.

Quinta causa: Postquam dictum est DEVM odiſſe & detestari Pecca-
tum, & nunquā cum eo reconciliari posse, sanē Peccatum Substantia esse & nomi-
nari non potest. Hoc enim modo omnis consolatio præcideretur nobis miseris pec-
catoribus, Quilibet enim sic cogitaret, Ecce DEVS odit Peccatum in æternum,
Ego sum Peccatum, Ergo DEVS me odit, et in æternum ipsi reconciliari non pos-
sum, Quæſo quid hic sequeretur? O calamitas super omnes calamitates. S. Paul-
lus multo rectius de his magnis rebus loquitur, ut qui habeat rationem sanorum
uerborū, Rom. 7. Scio quod in ME, hoc est, in carne mea nihil boni sit, Quæ uerba
Lutherus sic explicat in Gen. cap. 6. Ideo autem diserte Paulus dicit in carne
mea nihil esse boni, ut intelligamus, solo DEI Spiritu uitium nostrum sanari. Hoc
cum in CARNE fixum est, magna pars fundamenti salutis nostræ iacta est, quia
testimonia clara sunt, DEVM non abijcere peccatores, &c. Hinc sequitur si pec-
cator & peccatum idem essent, de fundamentis salutis penitus actum & desperan-
tum esse. Nam DEVS Peccatum odit & abijcit, saluum autem facit populum
suum a Peccatis, Matth. 2.

XXVI.

Sexta causa: In tota sacra scriptura talis locutio non extat, Et si quis ue-
lit interdum quasdam phrases in hunc sensum detorquere, tamen uerba formaliss.
Peccatum uidelicet esse Substantiam nunquam monstrabit. Cur igitur D. Petro
non obtemperant monenti in loquendo Sermone diuino utendum esse, Præcipue al-
te scriptura concionatur de Peccato quod sit quædā uiciositas, seu corruptio &
depravatio Naturæ, Hinc tam in descriptione eiusdem quam in sanatione, uerbis
non Substantiam ipsam significantibus utitur, Rom. 7. Peccatum in ME habitat,
Rom. 7. Peccatum adiacet mihi, Ezech. 4. Omnis caro immunda. Psa. 14. Cor-
rupti sunt filii hominum & abominabiles facti. Ioh. 1. Qui tollit Peccata mun-
di. 1. Pet. 2. Peccata nostra portauit. Psa. 51. Lauame ab iniquitatibus meis &
super

Super niuem dealbabor, Ier. 4. Laua à malitia cor' tuum. Apoc. 1. Lauit nos
à peccatis nostris. Iohann. 1. Sanguis Christi mundabit nos ab omnibus peccatis
nostris. Actor. 22. Ablue peccata tua, &c. Ex his testimonij liquido constat
aliud esse Naturam, aliud uitium Naturæ, illam autem mansuram, Hoc uero fide
in Christum filium DEI remotum & abiectum iri in profundum maris & inten
riturum, Mich. 2.

XXVII.

Septima causa: Notum est quantopere Augustana confessio, eiusq; Apo
logia recepta & approbata à tota Ecclesia Christiana, & multorum sanguine
confirmata sit. Hæc inquam hanc nouam phrasin non agnoscit, sed penitus igno
rat. Vocat Peccatum Defectum, inclinationem, tenebras, caliginem, ignorantiam,
Carentiam iustitiae originalis, & ταξιάν, conturbationem diuini ordinis,
destructionem, peruersitatem, cæcitatem, concupiscentiam, contumaciam, Labem,
confusionem, corruptionem, &c. An hæc mala ipsa sunt Substantia? Miramur
tante audacia esse multos, Ut suis Doxis ita dementati audeant conuellere,
emendare & tollere orthodoxum Ecclesiæ tam ueteris quam nostrorum tempo
rum consensum.

XXVIII.

Ostaua & non contemnda causa est consensus omnium piorum Docto
rum omnibus temporibus à prædicatione CHRISTI & repurgatione cælestis
Doctrinæ per Lutherum facta usq; ad hæc tempora, Omnes enim uno ore docue
runt & docent: Peccatum esse ipsam Naturæ nostræ fæditatem seu corruptio
nem, depravationem, &c. Et non ipsum Subiectum seu Naturam à DEO con
ditam. Augustinus ubiq; Peccatum uocat concupiscentiam, qua Voce & Defe
ctum, & Vitiosum habitum qui succedit, complectitur.

Anshelmus definit: Peccatum esse Carentiam iustitiae originalis debitæ
inesse. Thomas inquit: Peccatum esse non Reatum solum, sed etiam habitum
corruptum.

Bonauentura describit: Peccatum originale quod sit concupiscentia im
moderata & Carentia iustitiae debitæ inesse.

Hugo ait: Originale peccatum esse ignorationem in mente & concipi
scientiam in Carne. Lutherus in postremis suis libris, quos loco Confessionis scri
psit, & reuera Cygnea eius cantio sunt, plus millies utitur uoce DEFECTUS, corru
ptionis, iniustitiae, Malitiæ, Lepræ, Morbi, &c. in describendo peccato. Ut Gen
cap. 8. Hic Morbus seu defectus est extrema & ταξιά. Et cap. 1. Memoriam
uoluntatem & mentem habemus quidem sed corruptissimam, & grauiß: debili
tam, Imò ut clarius dicam, prorsus leprosam & immundam. Et cap. 3. Grauiß

Sima lacuria est in eo, quod non solum istae amissa sunt, Sed iuersio quedam uolutatis a DEO secuta est, ut Homo nihil Eorum uelit aut faciat, que DEVS uult & præcipit. Et Psalmo 90. Vocat Qualitatem & Morbum, &c. Brentius in cap. Esa. 1. Sic inquit: Peccatum quod Carni & Sanguini naturaliter inheret, quod uocatur Peccatum originale remittitur propter CHRISTVM, &c.

P. Melanthonem, Pomeranum, Crucigerum, Rheygum, Eadem de Peccato Originali docere testantur eorum libri utilissimi.

D. Iohannes Spangenbergius, in sua Margarita Theologica, hanc definitionem Peccati ponit. Est non tantum Reatus seu imputatio, sicut Scholasticis docuerunt, qua propter lapsum Ad e omnes homines, secundum Naturam propagati, Rei sunt, Sed etiam Corruptio Naturæ humanæ secuta lapsum Ad e, quæ fit, ut non possint præstare Verā Obedientiam Legi DEI, sed habent Defectus & concupiscentiam contra Legem DEI,

Hunc Consensum conuellere, Emendare aut penitus rei scere, qua conscientia, & quo sine id fieri possit, mea tenuitate assequi non possum. Videant tales, Nō dum se supra Ecclesiam in pinnas templi sistant, præcipites cadant, & scipios in extremam perniciem dedant, præsertim cum etiam scriptum sit, Gal. 6. Qui uos conturbat iudicium suum portabit.

XXIX.

Nona causa est Absurditas propositionis. Nam si peccatum est ipsa Sustantia, ex professo sequitur, DEVM creasse Peccatum.

Filium redemisse Peccatum.

Christum assumpisse Peccatum.

S. S. sanctificare Peccatum.

AEterna uita ornatum iri Peccatum!

DEVM recipere Peccatum, cum tamen scriptum sit.

Psal. 5. Non DEVS uolens iniquitatem tu es.

Et multa alia absurdiora, quæ quilibet pius sua meditatione inuenire potest.

XXX.

Has causas diligenter considerare debemus, ne persuasi prosopolepsia uel sapientibus Sermonibus Usitatam Doctrinam de peccato abijciamus, & aliam amplectamur, Sed tanquam Scopulum marinum nouas phrases fugiamus & detestemur quilibet, & S. Paulus 1. Tim. 6. Monet inquiens. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri IESV CHRISTI, & ei, quæ secundum pietatem est Doctrinæ, superbus est, nihil sciens, Sed insaniens circa pugnas uerborum & questionum, Vnde sequuntur lites, &c. Abstine a talibus.

Ex his

X X X I.

Ex his igitur quæ dicta sunt, sequitur manifestè, Peccatum originis esse, Vitium non leue, exiguum, quod sicut color parieti inhæreat, (ut quidam calumniantur) quod uel sit separabile in hac uita penitus, uel sit quiddam diuersum, separatum à Natura humana uenenum, uel malum quod ab extra accesserit, & sine violatione naturæ iterum abiici possit, ut Corona à Capite, uel etiam Lepra à corpore arte periti alicuius Medici, sicut olim Scholastici nugati sunt, Sed horribile, atrocissimum, grauissimum, Virus plane Diabolicum (Vt Lutherus loqui solet) & quale Theologia describit. Idq; idco, quod Peccatum imputatione & inchoatione per S. S. etiam in hac uita in nobis separetur, Reuera autem in sanctissima incarnatione filij DEI sepositum sit, Deniq; Re ipsa in resurrectione nostrorum corporum remouebitur. Hinc Lutherus Gen. 38. Mortam & peccatum uocat separabilia mala, Et Psal. 90. Qualitatem & Morbum.

X X X II.

Quod quidam Rhetoricantur. Separationem hanc imputatiuam, esse imaginariam & inanem speculationem, & propterea nullam, Velim eos consideratus loqui, Nam hoc modo & imputatiua iustitia conuelleretur, & pro imaginaria reijceretur, quæ tamen coram DEO uerissima & ualentissima est, Rom. 3. & 4.

X X X III.

Omnia Argumenta & probationes quas adducunt ad stabiliendam suam substantiam de peccato, quod sit Substantia ipsa, soluo hac unica response: Distinguendum esse inter Subjectum & Vitium quod accessit, & tribuantur Substantiae, quæ Verbum DEI ipsi attribuit, & Peccato sua attributa relinquuntur. Hoc discrimen si tollitur.

Erroris mater est æquiuocatio semper. Rurus
sus. Qui bene distinguit, bene docet.

A M E N.

B a

BREVIS



BREVIS PECCATI ORIGINIS DESCRIPTIO.

I.

Peccatum originis in primo homine est priuatio boni, & positio mali, quo scriptura uocat omissionem imaginis Dei, & acquisitionem similitudinis Sathanæ, manente tamen individuo, manentibus omnibus partibus integralibus hominem constituentibus, corpore, anima, corde, uoluntate, & reliquis potentias. Nihil n. horum à Sathanæ Creatur.

II.

Priuatio igitur boni, & positio mali facta est non per Creationem, sed per corruptionem. Potuit n. homo ratione commutabilitatis, ut Augustinus loquitur, labi, ac ita corrumpi, ut ex bono malus, seu ut scriptura loquitur, ex spiritu caro fieret.

III.

Rursus ergo per regenerationem non creatur nouum individuum, non aliæ partes integrales constituuntur, corpus, anima, cor, uoluntas aut potentiae. Sed restituitur eorundem bonitas per lapsum primi hominis amissa, ut ex ueteri carnali fiat nouus Spiritualis.

IV.

Sicut igitur ueteres Augustinus, & alij recte loquuntur, iniuitatem non esse Substantiam: Ita nec nunc recte dici potest peccatum originis esse ipsam hominis Substantiam, corpus, animam, cor & reliquias potentias. Sed Substantiae corporis, animæ, cordis, uoluntatis, omnium potentiarum, & uirium interiorum & exteriorum tristissimam corruptionem.

V.

Nec sequitur, nec uera est Illyrici maxima, qua afferit: Qui negat naturam esse Peccatum, idem negat eam esse corruptam.

VI.

Adeo n. corrupta est, ut tota sit mala, & coram Deo creatore suo abominabilis, nec in gratiam recipiatur, nisi filius unigenitus, hostia cælo & terra maior pro ea fieret, sanguine suo eam ab omni Peccato emundaret, Deum iustissimum irascentem, placaret, regenerationem & remissionem &c. impetraret.

VII.

Ille n. se Samaritanum, & medicum profitetur, qui inter Latrones lapsum sanat, & querere ac saluum facere uenit, quod pericrat, Matth. 9. Luke 10. & 19.

Quod



VIII.

Quod uero in primis hominibus mansit, id in omnes eorum posteros propagatur. Adam. n. filios ad imaginem & similitudinem suam procreat, Gen. 5.

IX.

Adam retinuit corpus & animam, ac omnes partes integrales constituentes hominem, ablata omni integritate & bonitate, amissa imagine DEI, ex subsecuta similitudine Sathanæ. Deniq; Adam, ut scriptura uno uerbo omnia complebitur, factus est caro. Tales igitur omnes sunt qui naturali ordine nascuntur. Quod n. natum est de carne caro est, Ioha. 3. Et natura sumus filii iræ Dei, Eph. 2.

X.

Caro autem nihil aliud est, quam esse sine Spiritu. Nam uocabulum carnis usurpatur aliquando absolute, aliquando relatiuē. Vbi absolute tractatur, ibi conditionem naturamq; corporalem significare scias. Ut erant duo in carne una. Caro mea uerē est cibus. Verbum caro factum est, &c. Vbi relatiuē usurpatur, per antithesin ponitur ad Spiritum, ibi fere per carnem intelligas omnia contraria spiritus. Et sciant Christiani, Origenem & Hieronymum, cum suis omnibus perniciose errare, Vbi negant CARNEM PRO IMPIO AFFECTU ACCIPIT &c. Luth. Tom. 3. contra Eras.

XI.

Sicut autem in Adam discrimin mansit inter naturam à DEO conditam, & eius corruptionem, que per ipsum accedit. Ac sicut credenti Adamo Peccatum remittitur, regeneratio inchoatur, & natura eius tandem à corruptione totaliter liberatur: Ita eadem in nobis manent & fiunt, qui in uera fide perseueramus.

XII.

Naturam conseruat & propagat DEVS. Eius autem corruptionem, nec iuuat, nec probat. Sed serio abominatur, & in impijs æternæ damnationi, & penitentiis subiicit: In credentibus uero & Sanctis ab ea naturam liberat.

XIII.

Non igitur concedendum est, ut discrimin hoc negetur, ne uel DEVS contumelia afficiatur ac blasphemetur, uel nobis omnis consolatio eripiatur.

XIV.

Qui enim simpliciter hominis naturam peccatum ipsum esse docent, aut DEV M authorem peccati, aut Sathanam naturæ huius conditorem constituunt. Alterum enim horum sequi necesse est, cum scriptura perspicue dicat: DEV M etiam nunc hominis creatorum esse, formantem nos in utero matris nostræ, Sed Peccatum à Sathanæ esse.

Con-



XV.

Consolatio autem summa est Hiobis & Pauli ad. omnium piorum, quod sciunt corpus hoc nostrum humile reformandum, ut simile fiat corpori glorificato Domini nostri Iesu Christi, manente natura a DEO condita & conseruata, ac abolito Peccato & morte, & omniibus malis reliquis nobis propter Peccatum impositis.

XVI.

Hoc siue per regenerationem, ut scriptura loquitur, siue per immutationem, siue per quemcunq; alium omnipotentiæ diuinæ reservatum, & nobis impermeabilem modum sit: Certum & euidentissimum est testimonium, Naturam & Peccatum non unum & idem esse, siquidem alterum manebit, alterum uero abolebitur.

XXII.

Non igitur uera est Illyrici regula, qua dicit: Idem non posse secerni a seipso. Naturam enim a Peccato secernunt, omnes fidei nostræ articuli, uerbum DEI, fides, & experientia, in ultima & laetissima omnium sanctorum resurrectione.

XXIII.

Nequaquam igitur discrimin hoc imaginarium uocandum, nec illi damnandi sunt, qui cum Lutherò peccatum, & mortem mala separabilia uocant.

XIX.

Hæc cum sit Ecclesiæ Christi nota & usitata doctrina, Videant quam aliquando Ecclesiæ, & DEO rationem reddituri sint, qui ex eius defensione occasionem sumunt, alios multorum teterrimorum errorum & hæresium insimulandi, & prorsus damndandi. Cum tamen publica eorum scripta diuersum testentur.

XX.

Dura enim & grauis sunt quæ scriptura pronunciat, Esa. 5. Vnde quod dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, &c. Et Matth. 12. Dico autem uobis, quod de omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in iudicio extremo,

¶ 6.



155035 T

AB 155035



Farbkarte #13

		B.I.G.	
Centimetres	Inches	Black	White
1	1		
2	2		
3	3		
4	4		
5	5		
6	6		
7	7		
8	8		

Cyan

Blue

Black

Green

Yellow

Red

Magenta

3/Color

Black

Per Urbanum Gubisium, excusæ.

I S 7 3

PROPOSITIONES

O E P E C C A T O
ORIGINALI CONFESSIONIS
LOCO SCRIPTÆ,

AB

**Andrea Hoppenrodio, Pastore
Heckstetensi.**

CVM PRAEFATIONE

M. Hieron. Mencelij Superintendentis.

